



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Qvid sit virtus salvationis, & ubi, Cap. 1

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

MEDITATIONES  
B. ANSELMI,  
Archiepiscopi Cantuariensis,  
DE REDEMPTIONE  
generis humani.

CAPVT I.

*Quid sit virtus salvationis, & ubi.*

**A**nima Christiana , anima de gravi morte resuscitata : anima de misera servitute Christi sanguine redempta & libera- ta : excita mentem tuam, me- mento resuscitationis tuæ , re- cogita redemptionem & liberationem tuam. Retracta ubi & quæ sit virtus salvationis tuæ : versare in meditatione ejus : delectare in contemplatione ejus. Excute fastidium tuum : fac vim cordi tuo : intende in hoc mentem tuam. Gusta bonitatem Redemptoris tui , accendere in amorem salvatoris tui. Mande favum verborum : suge plusquam mellitum saporem : gluti salubreim dulco- rem. Mande cogitando , suge intelligendo , gluti amando & gaudendo. Latare manden- do, gratulare fugendo, jucundare glutiendo.

2. Vbi ergo , & quæ est virtus , & fortitu- do Salvatoris tui ? Certe Christus te susci- tavit : ille bonus Samaritanus te sanavit :

Q 2

ille

ille bonus amicus anima sua te liberavit: Christus inquam. Ergo virtus salvationis tuæ, virtus est Christi. Vbi est virtus Christi? Utique cornua in manibus, ibi abscondita est fortitudo ejus. Cornua quidem in manibus ejus: quia brachiis crucis confixæ sunt manus ejus. Quæ autem fortitudo in tanta infirmitate? Quæ altitudo in tanta humilitate? Quid venerabile in tanto contemptu? Sed certe ideo absconditum, quia in infirmitate: & ideo celatum, quia in humilitate: ideo occultum, quia in contemptu.

3. O fortitudo abscondita: hominem in cruce pendentem suspendere mortem æternam, genus humanum prementem: hominem in ligno confixum defigere mundum perpetuæ morti affixum! O celata potestas: hominem damnatum cum latronibus, salvare homines damnatos cum dæmonibus: hominem in patibulo extensum, omnia trahere ad ipsum! O virtus occulta: unam animam emissam in tormento, innumerabiles extrahere de inferno; hominem mortem corporis suscipere, & mortem animarum perimere!

### C A P V T II.

*Cur sit occulta & tam diu dilatata.*

1. **C**ur bone Domine, pie redemptor, potens salvator; cur tantam virtutem operuisti tanta humilitate? An ut falleres diabolum, qui fallendo hominem dejicit de paradyso? Sed utique veritas nullum fallit.

Qui